

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica jubilate

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

in morte, virga enim & baculus ejus con-  
solantur nos, ne desperemus, sed cum  
Hiob dicere possimus: Etiam si Dominus  
occiderit me, tamen sperabo in eo. Hiob.  
cap. 13. vers. 15. Tandem animam nostram  
assumet in caeleste ovile, *ubi magnus nu-  
merus charorum nos expectat*, ut Cypria-  
nus ait. Ibi prorsus securi erimus, a leo-

nibus, lupis & ursis, sed in summâ secu-  
ritate apud Christum & sanctos Angelos  
pascua inveniemus, vitam cum abundan-  
tiâ. Joh. cap. 10. vers. 10. Largiatur id no-  
bis Dominus noster, Jesus Chri-  
stus, Amen.

\* \*

\*

## Dominica Jubilate.

*Evangelium, Joh. 16. v. 16 --- 23.*

### EXORDIUM.

**D**E dilectissimâ Jacobi Patriar-  
chæ uxore Rachel memoratur,  
quod post acerbissimos partûs  
dolores filium enixa fuerit, cu-  
jus nomen Benoni vocavit, id est, filius  
doloris mei. Pater verò appellavit eum  
Benjamin, i.e. filius dexteræ. Gen. 35. v. 18.

Hæc in parte Rachel imaginem repræ-  
sentat ecclesiæ militantis, in hæc terrâ,  
quæ in specie mulieris parturientis descri-  
bitur, Apoc. 12. vers. 2. Est enim mater o-  
mnium nostrum, Gal. 4. v. 16. paritq; veros  
Dei filios in vitam æternam, ex semine  
incorruptibili, per verbum Dei vivum,  
quod permanet in æternum. 1. Petr. 1. v. 23.

Sed ante Benoni nomen gerere oportet,  
h. e. variis miseriis, ærumnis & cala-  
mitatibus subiecti esse tenentur, mundus  
enim totus in maligno positus est, 1. Joh.  
cap. 5. v. 19. Et quia Christi Jesu sunt, qui  
elegit eos de mundo, propterea odit eos  
mundus, Joh. cap. 15. vers. 19. Et si no-  
cumentum iisdem inferre potest, arbitra-  
tur, se cultum præstare Deo. Joh. cap. 16.  
vers. 2. Ne dicam varias molestias, & per-

turbationes, quas à die exitus de ventre  
matris eorum, usque in diem sepulturæ  
devorare tenentur. Sir. cap. 40. v. 1. Mul-  
tæ enim tribulationes justorum, Psalm. 34.  
v. 20. & dolor in conspectu eorum semper,  
Psalm. 38. v. 18. Uade patientia nobis ne-  
cessaria est, ut voluntatem Dei facientes,  
reputemus repromissionem, Hebr. c. 10.  
v. 36. Sic tandem latissima catastrophe se-  
quetur, quando Pater cœlestis nomen no-  
bis immutabit, ut non amplius Benoni,  
sive filii doloris, sed Benjamin, seu filii  
dexteræ appellemur, lætam ex ore Christi  
vocem audientes: Venite benedicti pa-  
tris mei, hæreditario accipite, paratum  
vobis regnum, à constitutione mundi,  
Matth. 25. v. 34.

Hic est communis processus, quem  
Deus cum fidelibus suis instituere solet.  
In hoc mundo plorare & flere nos oportet,  
si ibi gaudere & triumphare volumus:  
*Sic itur ad astra*, ubi non audietur ultra vox  
fletus, & vox clamoris, Es. 65. v. 19. sed per  
plateas, & vicus ejus Halleluja cantabitur.  
Tob. 13. v. 22.

De

De hac re concionatur Servator noster Apostolis suis, in prælecto Evangelio, quando ait: Modicum, & jam non videbitis me, quia vado ad patrem, ut ex sequentibus patet. Nos ipsum Evangelium sine ulteriori præloquio tractabimus, discentes ex eo.

I. Ἀποστολογίαν, sive *notitiam nostri.*

II. Χριστογνωσίαν, sive *notitiam Christi.*

J. J.

*Exegesis.*

Spiritualis sponsa sponsum suum laudatura, inter alia quoque commendat labia ejus, quod sint lilia distillantia myrrham primam, Cant. 5. v. 13.

*Schmid. ed. lib. 1. Hæc mira comparatio est, quando e-*  
*to sicut lilia*  
*ich Refas.*  
nim labia alba sunt, instar liliorum, hominem sanè non usque adeò exornant. Sed mystica significatio simul intuenda est, præcipuè ratione liliorum distillantium myrrham, quorum mentio hæc in-

icitur. Myrrhæ amaræ quidem sunt, at hunc tamen usum præbent, ut corpora eâ inuncta, diu à corruptione præserventur. Hoc pii veteres applicarunt ad crucem Christianorum, quæ ipsis à Deo immittitur, quâ qui foris est homo corrumpitur, qui verò intus est, renovatur de die in diem. 2. Corinth. 4. vers. 16. Quoties igitur servator in diebus carnis suæ, de cruce prædicavit, toties dici potuit, labia ejus myrrham destillasse. Ipse enim *Rex est cruce insignitus*, ideoque qui discipulus ejus esse vult, insigniorum ejus eum non pudere debet, sed tollere crucem suam & sequi eum, Matth. 16. vers. 24. Propterea Magi ex oriente inter alia cum myrrhâ donarunt. Matth. 2. v. 11.

Quod verò spiritualis sponsa labia ejus cum liliis comparat, eo ipso solatium indigitatur, quod sub cruce latet. Olim enim *lilia symbolum spei* erant, unde inter Romanas moneta, lilio insignita reperitur, hæc cum inscriptione: *Spes populi Romani.* Sic veri Christiani sub cruce non desperant, sed sperant quoque in morte, Prov. 14. v. 32. & dicunt cum Jobo: Etiam si Dominus occiderit me, tamen sperabo in eo. Job. 13. v. 15.

De hac re quoque in prælecto Evangelio agitur, in quo labia Christi destillant myrrham, quando discipulis suis de cruce prædicat, quam in mundo sustinere debeant: sed & statim *candidum spei lilium* subjicit, dum consolatur ipsos, quod tribulatio non in æternum duratura sit, sed brevi latum Jubilate successurum, & continuaturum esse in æternum.

Nos hinc ansam capimus Ἀποστολογίαν, sive *notitiam nostri* perdiscendi, quando intuemur:

I. *Crucis intimationem*, quam Christus profert, primò *verbis operis*, dicens: Modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad patrem. Hoc de passione & morte ejus intelligendum est, tum enim per dies aliquot ex oculis discipulorum sublatus est, quando cruci affixus, deinde à cruce sublatus, sepulchro conditus est. Sed modicum duntaxat erat, & prædibat vicissim, in multis argumentis per dies quadraginta apparens discipulis, donec tandem videntibus illis ad cælum elevatus, sedit ad dexteram Dei. Act. 1. v. 3. 9.

Deinde quia Apostoli adeò stupidi erant, ut non intelligerent concionem

*hanc,*

hanc, explicationem subijcit, *verbis apertis* & ait: *καλασθε εαυθς θρηνησιντες*, plorabitis & lamentabimini vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini. Ita aperte locutus, nulla circumfusione usus est, ex quo Apostoli luculenter fortunam suam intelligere poterant.

Non autem concio hæc Apostolos modo, sed nos omnes hodie concernit, quod enim vobis dico, omnibus dico, ait Servator, Marc. 13. v. ult.

Multi sunt, qui ex horoscopo, sive astrorum tempore natiuitatis positu cuiusvis, fortunæ per universam vitam suam præfagium quarunt. Sed hoc Deo improbat, præsertim si quem hujus rei fiducia teneat, Deut. 18. 10. Es. 8. 29.

At hic verissimum habemus Prognosticon, ubi Christus, qui sapientia & veritas ipsa est, 1. Cor. 1. v. 30. Joh. 14. v. 6. unicuique, quasi Genesis delineat, & ostendit, quanta oporteat eum pro nomine ejus pati. Act. 9. v. 16. Ideo non ægre ferre debemus, si & in nobis impletur, quod Servator hic prædixit, hoc enim aliter esse nequit, 2. Tim. 2. v. 11. 12.

*Quilibet hic seipsum examinet, quomodo hoc Prognosticon sibi placeat, & an semper cruce illa, quam Christus immisit, contentus fuerit?*

Hoc necessarium prorsus est. Semper enim in oratione Dominica petimus, Domine, fiat voluntas tua, Matt. 6. v. 10. & scimus quoque, sine voluntate Dei nihil adversi nobis accidere posse, Matth. 10. v. 10. Non melius itaque facere possumus, quam si patienter ferentes, cum Michæ dicamus: Iram Domini portabo, Mich. 7. v. 9.

De pio quodam Patre refertur, quod subinde Deum sollicitavit, ut tibi Jesulum re-

cens natum ostenderet, cui eandem dictum est: *Respice!* Et respiciens, puerulum suavissimum spinis obsitum conspexit.

Quo ipso pii Veteres significare voluerunt, quod veri Christiani spinas tribulationum non subterfugere debeant. *Pudeat membrum deliriari sub capite spinis coronaro*, ait Bernhardus.

Israelitæ agnum paschalem cum lactucis agrestibus edere tenebantur, Exod. 12. v. 8. Hoc ipso Christianorum crux præfigurata est, sine qua sumus, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Psalm. 32. vers. 9.

In hoc omnes Sancti ab exordio mundi, nobis præiverunt, quorum nemo sine afflictionibus fuit, Dei enim judicia, à sanctuario ejus incipiunt, Ezech. 9. v. 6. 1. Petr. 4. vers. 17.

Quod si nobis durum videtur, alios respiciamus, & cogitemus, eandem passionem ei, quæ in mundo est, fraternitati nostræ convenire, 1. Petr. 5. v. 9. Nemo hic immunis est, fuit, & erit. Deus enim calicem suum omnibus propinat, Psalm. 75. v. 9. Hic est calix tribulationis, quem singuli gustare tenentur, licet myrrha repletus sit; & tamen neminem patitur tentari, supra id, quod potest. 1. Cor. 10. v. 13. Impii vero qui hic lætantur, & non flagellantur cum hominibus. Psalm. 73. v. 5. portionem suam invenient in loco tormentorum, Luc. 16. v. 25. Quando Dominus veniet, & dolores dividet furoris sui, Job. 21. v. 17. 2. Thess. 1. v. 9.

II. *Apostolorum ignerationem.* Quia enim verba Christi capere nequeunt, ideo de iis conferunt inter se, dicentes. Quid est hoc, quod dicit nobis modicum? nescimus quid loquitur.

Hoc admiratione dignum est. Apostoli enim

A a

enim

enim quadriennium ferme scholam Christi frequentarant, & sæpe de passione & morte, nec non de resurrectione ejus prædicantem Dominum audiverant, nec tamen verba Christi de abitu ad patrem capere possunt.

In pari ignorantia multi adhuc hodie versantur, licet enim articuli fidei identidem perspicue inculcentur, attamen pauci eosdem capiunt, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, 2. Tim. 3. v. 7.

Hoc à peccato originali oritur, quo tota nostra natura a deo corrupta est, ut animalis homo non percipiat ea, quæ sunt Spiritus Dei. 1. Cor. 2. v. 14.

Quando itaque homo in naturali hæc cœcitate manet, & à Spiritu Sancto non illuminatur, tota ei scriptura est, velut verba libri signati. Esa. 29. v. 11. Uti videmus in Scriba illo, qui universam sacram Scripturam ad unguem noverat, & tamen quærit, quis proximus suus sit. Luc. 10. v. 29.

*Quilibet prober sese, quid didicerit ex concionibus Paschalibus, qua hætenus magno numero ex hoc suggestu habita sunt?*

Vereor ne multi in eadem, qua Apostoli ignorantia hæreant, ut non immerito objurgetur Christi, qua Philippum objurabat, opus sit: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me? Joh. 14. 8.

In multis est ignorantia affectata, ut lateat hoc eos volentes, 2. Pet. 3. 5. sicut Pilatus, cum de veritate ei Dominus concionaretur, sarcastice respondebat: Quid est veritas? Joh. 18. 38.

Adhuc hodie fratres ejus in mundo degunt, qui intelligere nolunt, quod ex verbo Dei ipsis traditur, e. g. Quando Christus de cruce concionatur, Matt. 16. 24. multis

hic sermo durus est, Joh. 6. 16. Ideoque quasi absorta audiant, interrogant: Quid hoc est? Nescimus quid loquatur? *Locus enim de cruce non aridet nobis, sed libentius auditur, quando dicitur: Ecce, gaudium & lætitia occidere vitulos. Esa. 22. v. 13.*

Quando idem de mundo contemnendo, deque seipsum ab negando concionem instituit, iterum homines mundani quærunt: Quid hoc est? Nescimus quid loquatur, terrena enim sapiunt, & Deus eorum venter est. Phil. 3. 19.

Quod si adversariis ignoscere, inimicos diligere jubemur, Matth. 5. v. 44. Similis parata responsio est.

Sed veri Christiani ignorantiam hanc abjicere, & Christum ad exemplum Apostolorum interrogare debent, ut ad veram intelligentiam perveniant. Sir. 32. v. 19. Orent cum Davide: Revela oculos meos. Pl. 119. v. 18. & aperiet nobis sensum, Luc. 24. 45. ut indies crescamus in scientia Dei, Col. 1. v. 10. Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum. Eph. 4. v. 13.

III, *Mundi exultationem.* Mundus autem gaudebit, inquit Christus, vos autem contristabimini. Hæc *avvira* illa est, quæ inter serpentem & semen mulieris reperitur, Gen. 3. v. 15. sicut & inter mundum & pios Christianos, quos Deus de mundo elegit. Joh. 15. v. 19.

Postquam Simson à Philistinibus captus esset, illi Jubitæo instituto, laudarunt Deos suos, Lætantesque per convivia, sumtis jam epulis, præceperunt, ut vocaretur Simson, & luderet ante eos, postquam ipsi jam ante oculos eruerant. Jud. 16. 5.

Sic Philistæi gratulabantur sibi de morte Re-

Regis Achas, persuadentes sibi, se nunc Judæos subjugaturos. Esa. 14. v. 29.

Hic diaboli mos est, coram quo gaudet mæcor, Job. 41. v. 13. Unde & contribules ejus gaudent, quando proximi miseriam conspiciunt, tum enim exultantes cum E-domitis canunt:

Urbem, domos, vastabimus,

Sic diruemus funditus,

Æquabimusque terræ.

Reiß ab/ Reiß ab zu aller Stund /

Bertilg sie gar biß auf den Grund /

Den Boden wollen wir brechen.

*Hic te velim respicias, utrum & tu fortassis, inter ejusmodi irrisores constitutus, de proximi incommotis gavissus fueris?*

Hoc non adeo infrequens est, nulla enim fides hodie inter homines est, vir fratrem suum ad mortem venatur, Mich. 7. 2. & inique agendo fatigant se, Jer. 9. v. 5. Quinimo

*Fratum quog, gratiarum est.*

Hoc sic ante novissimum diem futurum esse, Christus ipse prædixit, Matth. 24. v. 12. Nemo proinde miretur, quod Servator interrogat: Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? Luc. 18. v. 8.

Sed Christianorum est, esse unanimes, compatientes, fratrum amantes, misericordes, affabiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, 1. Pet. 3. v. 8. Sumus enim membra unius corporis, quorum proprietates hæc est, ut, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, gloriatur unum membrum, congaudeant omnia membra, 1. Cor. 12. v. 26. Ideoque nostrum erit, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Rom. 12. vers. 15. Qui enim subsannat

pauperem, exprobrat factori ejus: & qui calamitate lætatur alterius, non erit impunitus. Prov. 17, 5. Sir. 27, 5. Mich. 7, 8.

De Secundo.

**T**Ransibimus nunc ad alteram partem <sup>221507 vortian</sup>, sive notitiam Domini nostri Iesu Christi consideraturi. Hic nobis in Evangelio hoc depingitur:

*I. Tanquam crucis moderator.* Quicquid enim hujus fit, non fortuito fit, sed ex definito consilio, & præscientia Dei, Act. 2. 23. sive sit malum sive bonum, Thren. 3. v. 37. Christus novit omnia, quæ discipulis suis evenitura sint, ideo dicit in futuro: Plorabitis & flebitis. Sic & nostræ afflictiones ponderatæ, demensæ, & delineatæ sunt, Mat. 10. 29. seqq.

Hoc probe agnoscebat Joseph, ideoque fratribus suis ait: Deus misit me ante vos in Ægyptum, Gen. 45. v. 5. & Gen. 50. 19.

Hiob, ideo dicit: Dominus abtulit, Job. 1. 21. & cap. 2. v. 10.

David, propterea de Simei dicit: Dimitte eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, 2. Sam. 16. v. 10.

Hoc probe teneamus, Dominus enim novit opera nostra, novit tribulationem nostram, novit paupertatem nostram, Ap. 2. 9. Præterea fidelis est, & non patietur nos tentari supra id, quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13. licet enim interdum tempus longius videatur, ut dicamus cum Davide: Usque quo Domine? Psal. 6. v. 4. attamen respectu Dei, est μικρόν τι. Mille enim anni ante oculos ejus, tanquam dies hesternæ, quæ præterit, & custodia in nocte, Psal. 90. 4. Esa. 54. v. 10.

Quin & nulla proportio est inter passiones nostras & futura mgloriam, hinc Apostolus post accuratam collationem ait: *1 Cor. 13. 1. 2. 3.* existimo, quod non sunt condignae passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. Rom. 8. vers. 18.

Huc respiciendum est nobis, & omnis afflictio levis erit. Etsi enim decem, viginti, triginta, vel plures annos in mundo affligimur, nihili tamen putandum est respectu aeternitatis. Hinc cum senex quidam nomine Ananias ad tormenta duceretur, & animo cadere videretur, consolatione hac eum alius erigebat, dicens: *O senex, claude oculos, in momento temporis, finita mortalitate aeternitas apparebit.* Hoc etiam nostrum solatium eo. 2. Cor. 4. 17.

*O dulcissimam aeternitatem!* ibi enim complebuntur dies luctus nostri. Esa. 60. v. 21. *O opulentissimam aeternitatem!* ibi enim centuplum accipiemus, quod hic reliquimus. Matth. 19. v. 29. *O optatissimam aeternitatem!* ubi in exultatione metemur, quod hic in lacrymis seminavimus. Ps. 126. v. 5. *O incessabilem aeternitatem!* ibi enim mors non amplius erit, Apoc. 21. v. 4. sed iusti in perpetuum vivent. Sap. 5. v. 6. *O incomprehensibilem aeternitatem!* cuius respectu, omnium hominum passiones, qui a tempore Adami in hunc diem vixerunt, multo tenuiores aestimandae veniunt, ac guttula aquae, ad omnem aquarum confluentiam, arenula ad universum terrarum orbem, & pluma ad maximam molem. 1. Cor. 2. v. 9. Ergo o optimi!

Durate, & vosmet rebus servate secundis!

Si crux amara: tartara  
Spectate, quam ferventia,  
In qua mali feruntur:  
Cum Spiritu, tum corpore,  
Torquentur absque tempore,  
Unquam nec exuruntur.  
At pauca vos post tristitia,  
Aeterna agetis gaudia,  
Hoc unice anhelandum:  
Non ullus est mortalium  
Qui ponderabit gaudium,  
Vobis quod expectandum.

Ist euch das Creuz bitter und schwer /  
Gedenckt wie heiß die Hölle wär /  
Darein die Welt thut rennen:  
Mit Leib und Seel muß leyden seyn /  
Ohn unterlaß die ewig Peyn /  
Und mag doch nicht verbrennen.  
Ihr aber werd nach dieser Zeit /  
Mit Christo haben ewig Freud /  
Dahin sollt ihr gedennen:  
Es lebt kein Mann / der aussprechen kan /  
Die glori und den ewigen Lohn /  
Den euch der Herr wird schencken.

II. *Tanquam parturientium consolator.*  
Quando enim discipulos suos, contra instantes tribulationes, contra ploratus & stertus, consolari vult, similitudinem à parturiente mutuatur, dicens: Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est in mundum. In quibus verbis *triplex solatium pro parturientibus* continetur, quod fluit.

1. *Ex Christi cognitione;* mulier cum parit, habet tristitiam & pressuram, ait Christus. Vere habet *tristitiam*: Dolores enim veniunt ei, Hof. 13. v. 13, & nescit eventum.

tum. Multæ vitam in doloribus istis amittunt, ut Rachel contigit, Gen. 35. v. 9. Vere quoque *pressuram*: Incurvat enim se velut vermiculus, 1. Sam. 4. v. 19. & clamat in doloribus suis, Es. 26. v. 17. præsertim, quando eo res devenit, ut virtus non sit pariendi. Es. 37. v. 4. Hæc omnia Christus explorata sibi habet, ideo solatio idem sit matronis Christianis, nec dubitent, quia Christus novit, quin in tempore ex compatiencia opem laturus sit. Heb. 5. 15.

2. *Ex temporis descriptione*, quod pressuram istam horam vocat. Hinc confidere possunt, quod non duratura sit octo annos, ut dolores paralytici *Ænæ*, Act. 9. 33. nec duodecim annos, ut mulieris sanguinis profluvio laborantis, Matth. 9. v. 20. non octodecim annos, ut filix illius *Abrahæ*, quæ habebat spiritum infirmitatis, & erat incurvata, Luc. 13. v. 11. non triginta & octo annos, velut ad lacum *Bethesda* decumbentis. Joh. 5. v. 5. sed horam duntaxat, ut Christus hic ait.

Equidem hæc hora quandoque satis longa est, quæ à vigilia matutina ad vigiliam matutinam producit, imo sæpe aliquot dies durat: sed quid hoc æstimandum respectu tormentorum infernalium, quæ peccatis nostris meriti sumus, cujus principium à muliere, quæ in prævaricatione fuit, 1. Tim. 2. v. 14.

Quin & Deus ipse hanc horam mensuravit, & definivit, ut ex Gen. 3. v. 16. constat, nec modo pauperes: sed in universum omnes, Imperatrices, Reginas, Principes, & Nobiles concernit, sine discrimine, quæ omnes de pomo *Evæ* gustarunt, ideoque de acerbo partus pomo comedere coguntur. Nemo enim ex Regibus, aliud habet nati- vitatis initium. Sap. 7. v. 5.

Quia igitur partus hi dolores non ab hominibus: sed Deo ipso sexui femineo impositi sunt, ideo fideli creatori commendent animas suas, 1. Petr. 4. v. 19. mutatio dexteræ excelsi est, Psal. 77. v. 11. veniens ille veniet & non tardabit, Hab. 2. 3.

3. *Ex oportuna liberatione*, cum enim peperecit puerum, jam non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

Hoc opus soli Deo convenit, ut David testatur, Psalm. 22. v. 10. non humanæ artis est. Ideo precibus instandam, dum auxilii hora appropinquet. Nec dubitandum: Voluntatem enim timentium se faciet, & clamorem eorum exaudiet. Psalm. 145. v. 19.

III. *Tanquam æternus fidelium lætificator.*

1. *Ratione visionis.* Iterum autem videbo vos, ait Servator. Hæc erit summa beatorum gloria.

In hoc mundo oculi *tria* plerumque cernunt, primo id, quod decet: secundo id, quod expedit: tertio id, quod jucundum est, ut Bernhardus ait.

Si Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Magnatum pompam & gloriam intueris, eos pro felicissimis habere soles: sed & ipsi habent gravamina sua, morti sicut alii homines expositi, Psal. 82. v. 7. ideoque *Siracides* ait: hodie Rex erit, & cras morietur, cap. 10. v. 12.

Si mundanas divitias, aurum & argentum, respicis, & ipse omnia possides, quæ cor tuum exoptat, non erunt illa perpetua, relinques ea in morte, ut dives ille rusticus, Luc. 12. v. 20.

Si jucundis interer Comœdiis, aut in viridario oculos tuos pascis, initio quidem animus tuus voluptate afficitur, sed tandem o-

mnium rerum satietas est, ut rectè dixerit, Sapientissimus mortalium: Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Eccles. 1. v. 2.

Interim hoc solatium nobis restat, quod in cælo Christum, & in Christo visuri sumus, *summam Majestatem*, quoniam Sol & clypeus est Dominus, Psal. 84. v. 12. *summam utilitatem*, omnia enim secum Dominus donabit, Rom. 8. vers. 22. *summam jucunditatem*, nempe abundantiam gaudiorum, cum vultu ejus. Psal. 16. v. ult.

2. *Ratione exultationis*, Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Plutarchus recenset de muliere quadam Lacedæmonica, quod filium è prælio remanentem, & de vulnere pedis conquerentem his verbis erexerit: *Fili, si memineras virtutis, haud dolebis.*

Multò æquius nos dicere poterimus: ô afflicte Christiane, *si memineras promissionis Christi, haud dolebis!* gaudium enim, quod sequetur, erit æternum, quo plenissimè ex-

saturatus, cum Josepho dicere poteris: Oblivisci me fecit Deus, omnium laborum meorum. Gen. 41. v. 51.

3. *Ratione perfecta cognitionis*. Et in illo die non interrogabit me quicquam, ait Christus. In hoc mundo plerumque filii hujus seculi prudentiores sunt, filiis lucis, Luc. 16. v. 8. Sed in futura vita Dominus electos suos tantâ sapientiâ & cognitione repleturus est, ut omnia sciant & intelligant, quæ in hoc mundo oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascenderunt, 1. Cor. 2. v. 9. Non enim docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum, usque ad maximum, dicit Dominus. Jer. 31. v. 34. Ad hoc cæleste gaudium, & perfectionem hanc evahere nos dignetur DEUS ter Opt. Max. per Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum!

Amen, Amen.

\* \* \*

## Dominica Cantate.

*Evangelium Ioh. 16. v. 5. --- 15.*

EXORDIUM.

**C**UM DEUS ter Opt. Max. peculiare foedus pacturus esset cum Abrahamo, sacrificium ejus incendebat, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas. Gen. 15. v. 17.

*Hæc historia Allegoriam nobis subministrat.*

Peccata nos & Deum nostrum dividerant, Esa. 59. v. 2. Sed per Christum inimicitia sublata, & inter Deum & homines novum foedus ininitum est. Jer. 31. v. 31. ut gratificati simus in dilecto, Eph. 1. v. 6. & offerre possimus sacrificia in iustitia, quæ placebunt

Domino, sicut in diebus antiquis, & sicut in annis prioribus, Mal. 3. v. 4. quod comprobatur charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, Rom. 5. v. 5. qui quasi inter utramque partem transivit, velut flamma amoris cælestis, & illud ratum iussit, quod Christus per abitum suum ad Patrem acquisivit, & discipulis suis multis modis promissit, sicut in specie audimus in Evangelio prælecto, in quo eos promissione hæc erigit, inquiens: Expedit vobis, ut ego vadam.

Si